

mutationem ad novam generationem, nisi mediante fermento, benè ab *Helmantio* edocti: Nihil enim aliud ista sunt, quam con- geniti quibusvis partibus spiritus, penitioribus humidi earum, primigenii penetralibus intimius immersi, quorum reconditæ se- minales potentiæ, uti non nisi obstetricante arterioso spiritu reclu- di & ab animali in actum transferri gaudent; ita perenni isto spiri- tuum in glandulis nutritiis collisu (quem Archealem dixi) chylus magis digestus & seminali glandularum dulcedine, ex insito earū excitato spiritu transmutâ, tinctus, saporem acquirit mitem, dul- cem, omnibus corporis partibus per quam naturaliter consentaneum & gratum. Ac ideo tot canaliculorum gyris constant glandulæ, ut circulati per eosdem lympha & chylus penitissimam cum spiritibus, glandularum penetralia subeuntibus, miscelam ineant, eorum impressiones assumant, ac veluti solarium radio- rum motu uvæ succi cruditate austeræ maturantur, dulces fiant & maturi. Videlur etiam ad fibrositatem, hinc consistentiam magis suam in glandulis nutritiis accedere lympha: ex rupto quippe chyli receptaculo vitro excepta fibrosior apparet & facilius, imò tota ferè sine ullâ etiam evaporatione in splendidam concrescit gelatinam multis minimis conspicuam fibris, quam ex artuum aut aliarum partium ductibus ad congregatas tenden- tibus collecta.

C. XIII.

Præmunitâ jam viâ ad circularis Lymphæ motus enoda- tionem brevissimis descendo. Detectis namque genuinis ejus fontibus & officinis, obscurum amplius esse haud potest, moveri Lympham dictis ex fontibus (cerebro sc. thymo & glandulis congregatis) per vasa lymphatica ad sanguinem, & ex hoc ad eosdem remeare; ut adeò luceradet clarissimâ suo dignum au- tore effatum, quod ex disertissimo Celeberrimi *Wedeli* ore ha- beo: Omnia in sanguinem, omnia ex sanguine & omnia pro san- guine. Ut autem plenius constet allegatus circularis Lymphæ motus, suppono:

1. Axiomatis physiologico-anatomici instar valere: ubi glandulæ, ibi secretio, & vice versa.

2. Nullam partem esse sine glandulis, ut nulla sine lym- phâ,